



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

6. Timor Domini.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. *Habe fiduciam in Domino, ex toto corde tuo. Proverb. c. 3. 5.*

II. *Domine, ecce spes mea, ecce tota fiducia mea, Filius tuus pro me crucifixus. S. Aug. med. c. 8.*

III. *Qui confidit in Domino, sicut mons Sion, non commovebitur in aeternum. Psal. 124.*

P A S S U S VI.

Timor Domini.

T E X T U S.

Initium sapientiae timor Domini. Psal. 111.

Cognitio.

TImor est fuga peccati, ne quis incurrat in poenam temporalem, aut aeternam; ne perdat coelestem gloriam; & ne labatur in sui Creatoris offensam. Timor autem est triplex: 1. *Servilis*, ortus ex formidine poenae. 2. *Initialis*, qui poenam & offensam respicit. 3. *Filialis*, qui timeet
offen-

offensam Dei ex amore, ne optimo parenti displiceat.

Actus sunt:

1. Dei justitiam & severitatem, peccatorumque gravitatem ponderare.
2. De antea actis peccatis pœnitentiam agere, & satisfacere, ad pœnam evadendam.
3. Omnia peccata gravia, & levia pro viribus declinare.
4. In tentationibus se animare ac roborare, quo pœnam evadamus.
5. Divina mandata sedulo observare, ne Deo displiceamus.
6. Summâ reverentiâ Deo se submittere; nihilum suum & fragilitatem agnoscere, & infra omnes se abjicere.

Consideratio.

Anima mea, si motiva quàm plurima, à peccato te efficacissimè retrahere valentia, perpenderis, fieri non poterit, quin ingenti timore percellaris. Talis esse poterit 1. Consideratio mortis certæ & incertæ. 2. Consideratio extremi ac rigidissimi judicii. 3. Consideratio inferni, verè omnium terribilium terribilissimi. 4. Consideratio Passionis Filii Dei: *Si in viridi ligno hæc faciunt; in arido quid fiet?* 5. Consideratio propriorum peccatorum, & alienorum.

6. Consideratio propriæ fragilitatis & pronitatis in lapsum. 7. Misericordiæ & justitiæ Dei infinitæ. 8. Sapientiæ Dei omnia scientis. 9. Omnipotentia, valentis corpus & animam perdere in gehennam. 10. Consideratio abyssi judiciorum Divinorum planè terribilis. O quis hæc seriò perpendens non trepidet? Quem ista, velut frœnum, à malo non retrahant? Quem velut calcar acre ad bonum non impellant?

Petitio.

Fac nos, Domine, timorem Tuû & amorem habere perpetuum: ut non tam timore fervili, quàm filiali, permoti, declinemus à malo, & faciamus bonum, tibi que unicè placere satagamus.

Aspirationes.

I. *Confige timore carnes meas: à mandatis enim tuis timui.* Psal. 118.

II. *Totus tremo atque horreo ad memoriam istius regionis, (infernalis) & concussa sunt omnia ossa mea.* S. Bernard. serm. de s. reg.

III. *Vigeat in me, Domine, timor filialis, qui est Timor Domini sanctus, manens in saeculum saeculi.* Psal. 18.